Requisitione G[e]n[ero]sa Constantio de Zadulskie
drowa ad Bona certa Sctis Villa Lezan Possessi
datena Illius Subiecti Curiamq[ue] Ibidem Sita
a Feria post Festum Sancti Francisci
Sessionis p[ro]xime & immediate Consentia
Xima Anno Currenti Condescendit Ibi
q[ue] cum dictis Nobilibus p[rae]t[er]e[a] de facto
tens in Corpore Suprascripto G[e]n[ero]sa Requiren

xl. V. 55.

Ex Libris Mathiæ Wyno

PATRONVS
ad Tribunal Gratiæ
Pro Convicto Criminum populo
AGENS.

Ad Aram B.M.V. Gratiosæ,
In Collegio Varsaviensi Scholarum Piarum
In favorem Metropolitanarum Urbium
Grassante clade pestilentiæ

VOTIVUS

Illustrissimo & Reverendissimo Domino.

D. IOANNI TOBIÆ AVGVSTYNOWICZ

Archiepiscopo Leopoliensi, Episcopo Moldaviensi Assistenti Domestico SS. Domini Innocentii XIII.

Per P. Iustinum a S. Nicolao Scholarum Piarum


OBLATUS.

Anno, quo primus mortes cklademq; merenti
Donavit populo cœlestia jura Patronus.

1723.

Benedicti Okonski
Schola Poëses

IN GENTILITIUM INSIGNE ILLUSTRISSIMI ARCHIPRÆSULIS.



I.

Unus, quod Patriæ ſis tutor, Numinis alter
MAGNE Tua hoc PRÆSUL, rupta Sagitta docet.

II.

Præſuleæ decus hoc eſt immortale Sagittæ,
Quod verſo â terris fertur in aſtra ſtylo
Pro ſacris certans ſemper felicius Aris
In cœlis merito poſcit håbere locum.

Ad
ILLVSTRISSIMVM
&
Reverendiſsimum
ARCHIPRÆSVLEM
Epiſcopum Moldavienſem

NOndum familiaris Tibi dictio, ſemper tamen Magno Nomini tributaria, eo reverentius Tuo ſiſtitur conſpectu ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME ARCHIPRÆSUL. Nec aliter admitti debuit ſuæ parvitatis conſcia, & alias rea criminis læſæ Magnitu-

 dinis

dinis Tuæ, nisi primâ fronte suum præferret Patronum. Agebat hic olim pro populo ad Regiã MARIÆ Maiestatem, nunc Tuis actor obsequijs destinatur. Nimirum bene origo gratiarum MARIA IOANNI redditur, pro pœnarum indulgentiâ, Orator consignatur gratiæ, arcus Pöeticus Tibi est triumphalis. Neq; tamen eo intendimus aliquid Tuo addere Honori, quo ad Dignissimorum paritatem levatus, imparem invenisti laudatorem. Sed, & hæc ipsa tibi Fortuna est, qua vel modestiæ documentum ad imitationem, vel Te ipsum ad adorandum producis, Solis nimirum quandã proprietatem

in

in Te immigrasse cernimus, ubi ipso meritorum & gloriæ splendore, omnium ad Te trahis animos, a nullo contemplandus, quod serenissimum illud lumen lippientes everberet palpebras. Ipsa PONTIFICIA Aquila condignè Luminare ejusmodi adamavit, in cuius pectore thesselato, adeo erga Te luserunt Gratiæ, ut totum Cor SANCTISSIMI, Tibi in lucrum proposuerint. Acutior illius obtutus immensum Tibi testatus respectum, omnis Sanctitatis Prototypon, SANCTISSIMI animum Tibi meruisti. Pastoralis vigilantia ad clavum Apostolicæ navis sedenti, adeo complacuit, ut

ferreum pro Ecclesia animum blan-
dâ attraheret potentiâ. Et inde
est quod SANCTISSIMO DO-
MINO ASSISTENS DO-
MESTICUS esses, ubi domici-
lium cordis possedisti. Debebatur
hæc SANCTISSIMO gratia.
ad Illius animum accomodatissi-
ma. INNOCENTIO assistere debuit
Ioannes gratiosissimus. Primo Ec-
clesiæ capiti Angelus hic, [Consilij
forsitan] missus est. Sed ivit jam
in normam primæ eiusmodi Tiaræ
servilis Tuo Honori populus, qui
tantum sibi obtigisse Præsulem gra-
tulatur. Ita enim Tuorum mo-
rum exemplò graderis, ut viam
Domini præpares, quâ non trivius
quo-

quorumcunq; procedit error, sed subsequens in animis virtus deterit. JOANNI hoc scilicet proprium est, quod ipsi cælorum colles à Te in suppetias advocati, ultro Tuo acclinentur gregi, & vallis populorum, cælituum gratijs impleatur. Debetur id Pastorali Tuæ vigilantiæ, quâ non millenos assumis oculos: sed Ipse pupilla esse omnium maluisti; timens ne ad Te centoculum Argum, jumentum Domini rapia tur, Et vel ideo nihil Tibi arca num est, ubi ipsi patent animi. Re præsentant id subiecta Tibi pecto ra, à quibus cõtinuum amoris, & subiectionis cernis tributum. N mirum est quòd tantum Tibi int

tuo-

tuos conciliares affectum, ubi etiam ipsa Tui Nominis famâ, meam attraxisti pennam, quæ dum semel Tuis consecratur obsequijs, immortales scribet characteres. Nunc tamen prævia si parum etiã argutè loquens Tuo arriserit Animo, ulterioribus erga Te encomijs insudabo.

Illustrissimo & Reverendissimo.

Nomini Tuo

devinctissimus

Iustinus a S. Nicolao S. P.

CATEGORIÆ POETICÆ

In quibus Pöeta recognoscens efficax B.M.V. de Gratijs patrocinium, & robur ad placandum iratũ Deum, Vastante oras Patrias pestilentiâ, supplices ad Aram Gratiosæ Matris DEI in Collegio Varsaviensi Scholar. Piarum promit affectus, præsertim pro principalioribus Regni Urbibus.

CATEGORIA I,

Summa Vitæ Genitrix, *in mortalitate* Patrona *B.M.V. de Gratijs.*

MAter? quâ Mundo generatur Vita perennis,
Matrem Te tantam flebile carmen adit,
A pedibus famulæ tantiſper cedite Stellæ
Et tu flebilibus Cynthia cede metris!
His plantis Citharæ pectus turbæq; gementes
Cantando ſubdunt carmina, Vota preces.
O MATER! ſeu Te ſublimis detinet æther,
Vel blandis ſopit, curia miſta choris
Ah! gemimus, flemus, lachrymas querimurq; fluentes,
Quæq; deeſt vocem, languida corda premũt
Deficit, & rurſum præmortua lingua refellit
Alba velut Minci, funera lenit avis.
Dia Parens, tandem noſtris adflectere votis,
Et magnæ rurſus viſcera MATRIS habe.
Nam merito petimus, revoces ut muneraMatris
Dum Tibi ſuggerimus par Genitricis opus
Certe etenim tunc Mater eris ſi reddere vitam,
Ereptam nobis viſcera Diva volent.
Nunc igitur dum vita perit, Tu conſule VITAM,
Viſcera quam nuper progenuêre Tua
O! dulces ulnas! & fortia brachia tende,
O! Mater! natis viſcera pande Tuis.
Audit, & â longè proli Philomela recantat,
Involucri, ſolitam voce remittit opem

In

In laqueis mundus, suspendit retia Fatum,
Auceps jam passim, Parca futura fremit.
Quis locus est nido, Lechidis jam tota perivit
Patria, tot patrius funera nutrit ager.
Exitium fulmenq; citis superinvolat alis.
Fulmen quod Magni succutit ira DEI.
Quo totus planè flammis incenditur æther,
Quo fusus terram languidus ignis arat.
Nec tamen in fructum vitæ tetra jugera pādit,
Mortua quantumvis semina terra gerit.
Cerno super mæstis moritura cadavera campis.
Cerno monstrosum vivere morte solum
Nec mirum tumulos quod tellus gignat amaros
Influxus tales sidera summa rotant.
Dedicit cœlum Stellas gyrare faventes,
Dedicit lætum lux recreare diem.
Seu Phæbus terras meliori lumine ditet.
Largitum Eclypses surripuere jubar.
Si sua nocturni commendent sceptra Planetæ
Ad nostrum vigilant Fata severa caput.
Omnia somnus amat, secura est Ursa cavernis
Accubat in molli gramine Marsus aper.
Nobis nulla quies, nec Morpheus ora fatigat
Sed teritur crudâ morte, papaver iners.
Hos querimur casus querimur dispendia vitæ,
Deflemus tetricum nocte dieq; polum
Vitaq; cum lachrymis jam forsan diffluit ipsis
Et duræ Lethes, lachryma munus agit.

At

At benè si fluerent illæ, si flere liceret,
  Lenitur lachrymis egeriturq; dolor.
Sed nec flere licet, nec delinire dolorem,
  Eheu! nec flendo vita superstes erit.
Miscetur tumulus, tumulo super incubat alter,
  Nuper qui vasto corpore plenus erat.
Millia straverunt passim se luce recenti,
  Proxima lux rursus, millia morte necat.
Flevimus exanimes diffusis luctibus urbes,
  Heu! dolor! hic etiam limina nostra manet.
Tempore non longo fors Præfica nulla querelis,
  Exuvias nostras quæ comitetur erit?
Qui truncum exangvẽ funesto substrahat unco
  E laribus nullus forte Polynctos erit.
Nos omnes tumulum ne mors deturbet in unũ
  O! Vitæ Mater, more Parentis age.
Principium vitæ, supremæ causa salutis,
  Tu simul es cunctis altera VITA, salus,
Nunc igitur genitam digneris supplice Vitam,
  Pro Vitâ nostrâ sollicitare prece.
Præsidium vitæ certũ, MATERQVE manebis,
  Si per Te nostris vita redibit agris,

CA

CATEGORIA II.

Inter Deũ severò decretò terribilẽ, & reum hominem Mediatrix

In nova mutatur decretis, gratia justis,
    Succendit placidum Justior ira Deum.
Non solitum grandis promittit dextra Tribunal,
    Dextrá potens gladio, dextera lance gravis.
Astra minas jurant Deus est offensus inulto
    Crimine multiplices concutit ira lares.
Eheu! quis fugiet, justæ de Vultibus iræ,
    Non est pœnarum, qui remoretur opus.
In justas Nemesis satis est accensa ruinas,
    In cunctos celeri sat pede pœna volat.
Non latebræ servant trepidos, tectiq; recessus
    Non nisi Lethalis, sontibus umbra sinus
Quo tecunq; trahit metus, huc Adrastea vindex
    Ut mortis legem pressus ubiq; feras.
Bacchatur scelerum Diris ultricibus orcus,
    Alecto tristes excutit atra faces
Tænarias pariter torret furor æquus Erynnes;
    Continuat cæptam Parca nefanda colum
Terrifico mæsti sqallent titione penates,

Po-

Postes, tecta, domus, carbo favilla cinis.
In facibus crebris titionibus atq; lucernis,
Vestigat vindex ira superna malos.
Horrendum sævo Numen succenditur igni,
Umbra vel est ultra nulla Patrona reis.
In silices abeas, comes est Rhamnusia tecum,
Seu te cæruleis condidit unda vadis.
Abdita nulla tibi cæco indulgentur in antro
Non fugiunt justum crimina tecta Iovem.
Ah! Superi! tantumne nefas commitimus astris
An tanto claret culpa scelesta malo!
Siccine secreto crimen quod corde vovetur,
Prægreditur celsos luce nitente polos.
Labes quæ parvis deformat pectora signis,
Hæc latè tingit limina sancta domûs.
Specto procul vastis, dum verto volumina chartis
Quod sceleri quondam forte latere datum
Dum profugis figit Daphne vestigia saxis,
Laurorum viridi cortice tecta riget.
Aspera securos fecerunt marmora fontes,
Caucaseo crevit fulmine sæpe nocens.
Dodone texit deformem criminis ausum,
Frondibus áspectum sæpè latere nefas.
At nos quod marmor! tenebræ! quæ tesqua recondant.
Africa non certo crevit amica peplo
Expedior pennis qvâ sol permitit Eoum
Per

Per cæli liceat limina ferre gradum.
Quâ molles vexant ululantia Mænala ventos,
Quâ se Thessalicis aura fatigat agris.
Inclamo superos, terras, & marmora clamo!
Num mihi cæruleas vox benè pulsat aquas.
Echo non reddit pavidis effusa querelis,
Num mihi securum dicit adesse locum.
Vestigat decreta DEI, permitte latendi,
Donum dimotis India tecta plagis.
Si vel sub terras aditus, tramesq; pateret
Antipodis melius forsitan esse mihi
Sed vanum querimur, vanum mea vota pre-
cantur,
Non fugio sanctæ fulgura justa manûs.
Ah! liceat saltem pronas inflectere terras,
Et precibus mitem sollicitare polum.
O! cœli? Stellæ! nubes adamante rigentes.
Quo vos clausistis cardine! quove modo!
Jam memores scelerum pœnas excludite divi,
Decretis redeat gratia mista pijs.
Hæc jam dispungat radios meliore sereno
Quæ modo terribili est fulmine plena manus
Tu verò causam sumes si Virgo Patrona,
Gratia pro populo grata Tribunal eris.
Heu terret flammans flammantis vultus, & iræ,
Irati Virgo tela reconde DEI.
Scis quando immites nos straverat ira rebelles,
Vim nuper fortem nunc violenta tene
Jura

Jura fremunt, & sanctæ leges, vindice dextra,
Supremumq; Themis sancta Tribunal habet
Offensum Numen populatur fulminis instar,
Orbem mortiferis legibus, igne, rogo.
Jam cœpit sancita miser capitalia ferre,
Ni venias unus mortis acervus erit.
Decretum fertur moriendi sontibus unum,
Omnibus Una manes Virgo MARIA salus.

CATEGORIA III.

Ægrescentis mundi, & omnium Causarum morbi tempestivum & salutare remedium.

Ægrescit mundus cui jam non pharmaca restāt.
Extremos morbos nulla medela terit.
Funeribus tumulos jam plane implevimus omnes,
Et non intumulans corpora campus habet.
O! sortem flendam! sed causa feralior ipsa,
Non excusandis crimen inane malis.
Non sic ut tristes fera sunt nocumenta nocētes
Sunt

Sunt mala quæ tollunt, ſed mage cauſa mali
Quid peſtis! quid magna fames, quid tela, quid enſis
Non enſis, proprius lictor at ipſe nocens.
In peius ſemper graditur ſcelerata cupido,
Non eſt nequitiæ meta modusq; ſuæ.
Nauſea mera ſumus, cæleſtibus obvia ſignis,
Unaq; maſſa tetti conglomerata mali.
Heu! quæ pars noſtri tandem ſecura manebit,
Indigni vitâ quiq; perire, cadunt.
Et ſi quem vindex Superum tranſmiſerit enſis,
Noxa vel invitam provocat ipſa necem.
Extenuat Nemeſis vires ac deterit urnâ,
Et tot funeribus languida Parca ſtupet.
Dumq; parum, Numen perimentia tela remiſit,
In pejus rediit convaluitq; ſcelus.
Quod jam non ſanis audet medicamen in ægris
O! ſcelus! ad pejus miſta medela valet.
Pocula plena bibes, ſcelus orbis. Amyſthide Lethes,
Pocula fellis erunt, toxica mera bibes.
Ira tenet calices ſceleri ſat potio grandis,
Pharmaca dum ſuperum reſpuit ægra ſalus.
Ore bibes pleno peſtes, contagia, tabum,
Quæ niſi de cœlo bilis amara fluet?
Dulce nihil vitio guſtus, fit nectar amarum,
Antidotum vitæ, mortis amyſthis erit.
Dia Parens, non es nobis Pandora nefanda,

Nec mala Te Virgo terra volente bibit.
Non plectit per Te peccatum dextra Tonantis,
Non Tu per populum fulmina sæva jacis.
Quin potius si quando Deus comparet amicus,
Ista Tuæ veniunt munera sancta manûs.
Tu quoties nostræ dispensas pharmaca vitæ,
Perpetuos annos ista medela creat.
Dia Parens & nunc summis tua pocla labellis,
Ad me pro mundi Dia salute bibe.
Sana proculdubio jam pro tunc corpora surgēt
Nam Te ipsam vitam Virgo Maria bibent.
Infestum dispunge malum, quod defluit orco,
Mater es? Ore pio, nectar in aure DEI.

CATEGORIA IV.

Vita, & anima mortalis Vitæ.

Quis mihi det celeres possem transcedere cœlos.
Quis mihi det solis visere utramq́, domum.
An mea sidereas fors vita recurrit ad oras,
Quam minus addictus fulminat igne polus
An verò dispersa levi confunditur aurâ,
Quam tumida rabie frigidus Auster agit.

Non

Non etenim vacuo ſpectatur in orbe morari,
Qui de mortali germine natus erat.
Cerno tetros manes, & frigida corpora cerno,
Specto quo tumulus marmore crevit atrox.
Vix conceſſa fuit, ſubito poſt tempore dēpta
Non ſervata ſuo corpore vita fugax.
Emorimur tumbamq; omnes præcurrimus unã,
Quo nos præcipitat funere dira lues.
Vivimus at juſtô mandatô vita negatur,
Vivimus at rapido pulvere finis ineſt.
Pontica prout gelidas diſpellunt aſtra pruinas,
Dum blandum in Geminis Verq;, calorq; tepent.
Fertur Hyperborea ſed jam quaſi ventus ab arcto,
Atq; Decembrali ſidere bruma rigens;
Gratia verna perit, marceſcit floſq; virorq;
Gratia verna labat, ſternitur omne decus.
Non tantum friget, jam morte ſequente ſenectus,
Sed ſenii normam parva juventus habet.
Terribile eſt dictu, nec jam mihi verba ſuperſũt
Somnia! vel verum eſt? verba cadaver habet.
Triſtia proh! Superi? tenuamur ſpectra per Orbem,
Corporei manes! Viva ſepulchra ſumus.
Vel breve, vel nullum vitæ fugientis in auras,

Officium, vel ego qui loquor, umbra, cinis
Qnid sperem! casusq; feret mox iste, vel ille,
Instanti quô sto, quô loquor, hocq; cado.
Quid nisi supremum jam jam gravis aura susurrat,
Nunc vivis, certò nunc moriere scias.
Jam data sunt aliis, soli mihi nuntia restant,
Terminus hic vitæ dicere quilq; potest.
Vivimus hic pariter, ventum captamus eundẽ
Et par nos itidem, mors inimica metit.
Mors ait incultos jam, jam mihi cede penates,
Hæc rursus nostras impetit hora fores.
Sic viduata domus propriis hæredibus orba,
Parcarum imperio funera nosce tua
Ergo nihil spectare licet, sed tristis imago,
Horror pro tectis, pro lare, terror adest.
Triste gemunt Lemures, tantum funebria visa
Solaq; jus sævum Mors habitura ferox;
Ah! ueniet, veniet tandem mox incola tristis,
Heu! mæsto signat jam titione domos.
Ut jam signavit multos carbone penates,
Funera funeribus, busta futura rogis.
At celeri non sic fatô consumimur unquam,
Ut non possimus spe recreare metum
Mortibus in mediis & in urnâ vivimus ipsâ,
Præsidio vitæ sæpe Maria Tuo.
Non alia est, non humanis spes ultima votis,
Tu-

Tutamen vitæ Tu nisi magna Parens,
Tu medias inter mortes, Tu vita. Maria
Et vitæ certus terminus, atq; salus.
Ergo nimis mundum populantia sustine Fata,
Munera conveniunt viribus ista Tuis.

CATEGORIA V.

Fulcrum ruentis Mundi.

Quid! quod tam subitô turbentur sidera gyrô?
Ac pellant casûs sors inimica tuos?
Prævidet hæc nitidis, nonnunquam palpebra vitris,
Nec tamen eventus conscia vitra docent.
Nec stetit in certo titubans cognitio rerum,
Quidquid de nobis volvere Fata velint.
An fere cunctorum subversa lege vetustâ,
Altera naturæ condere jura student.
Vel cursum mundi cupiant frænare ferocem,
Et bene substrictum lege tenere novâ.
Hæc modo felici sustentat cuncta rotatu,
Nunc infelici deterit omne rotâ.
Nascimur ad sortes, & casu vivimus ipso,
Flantibus ut Cauris, mollis arundo tremit,

Sed tamen hoc totum, regitur de Numinis ore,
Seu Fatum regnat, ſeu meliora nitent.
Illius arbitrii caſus compoſcere noſtrôs,
Illius eſt rurſum mittere Fata ſolo.
Jam periit fauſtos moderans Fortuna Planetas,
Exuberantq; ſuo plurima damna modo.
Recluſus Phlegeton, jam Lethe flumina ſolvit,
Triſtibus his undis oſtia rupta nimis,
Orbis concutitur, dum ſe ſub cardine verſo,
Præcipitant panſis aſtra inimica viis.
Hinc tremor eſt terris, hinc fundamenta moventur.
Et quâ neſcitur machina parte ruet;
Incumbunt mundi properè fragmenta cadẽtis,
Opprimit arroſum preſſa ruina caput.
Ah! video ſternunt ſe alii mihi forte cadendũ,
Ad primam guttam denſior imber abit.
Nubibus irarum totus ſuſpenditur äer,
Deplua ſub tumulum corpora terra trahit.
Ac ſi Lypparei tereremus lubrica ponti,
Sic mergunt tumidum Fata ſevera genus.
Neptuni potius tellus imitata colonos,
Sic perit ac Thetidos tota procella gravat.
Prærupta hæremus terræ ſuper ipſa labantis.
Non procul â centro perditionis opus.
Una ruina diu, mortis conſtricta fragore,
Perdita damna tulit, deteriora ſequens
Tecta ruunt ſtrato pariter cum pariete mixtim,
Et

Et mõnſtrat dominos occubuiſſe ſuos;
Non calcata domus deſertaq́; limina ſtrident,
Urbibus in raris incola rarus abit.
Non hæres fundi tenuis non cultor agelli,
Gaudeat ut domini ſorte Nepotis adeſt.
O! fortes humeros, armos, & brachia centum
Brachia ſint centum, ſint totidemq́; manûs.
Non poterunt mutare vices, ſalvare ruinas,
Non poterunt tantum continuiſſe malum.
O! ſatis! o ſatis eſt Celſæ magna ulna Mariæ
A quâ nuper erat pendula viva ſalus.
His ulnis, humeriſq́; Tuis, gravis iſta relicta,
Sarcina nunc nervis utere Virgo Tuis,
In Te nam mundi labentis damna recurrunt,
Atlas nullus erit, ſi Tua dextra jacit.

CATEGORIA VI.

Oppoſita exterminatori furori, triſtemq́; hominis Vaſtatura Angelũ.

Quid robur, forteſq́; viri nerviq́; potentes,
Quid ſunt concreto fortia membra toro.
Quid, quod Centauros valeas agitare bimẽbres
Sternere pugnaci Colchica monſtra manu.

Sub juga si frangas, feriatis colla juvencis,
Aut ursos, reliquas dilaceresq́; feras.
Arcadiam subigas, Lernæam vince paludē,
Et quid de monstris amphitheatra domant;
Quid labor est, sudorq; potest, Circiq́; triūphi,
Vultus trux & frons, exuviæq́; graves,
Quid mihi victor erit, duodenis altior actis,
Post orbem domitum, postq́; Giganta redux
Nunc, nunc jam totis se viribus exerat ausus,
Huc qui sunt validi fortis arena vocat.
Fervet in insolitis rabiens hæc scena theatris,
Irâ nil Pardus, nil valet ungue Leo.
Sic quondam novi cœlum pulsare Gigantas,
Tollere monstrosas vipereasq́; manûs.
Vis rursum furiæne placent, certare Tonanti,
Et reliquos bello sollicitare Deos?
Ecce rebellantum robur, furiæq́; potentes,
Ecce caterva gravis. noxia visq́; sibi.
Mensuras flexo Briareu jugera collo,
Corpore sic tumidos tanta ruina ferit.
His inclarescunt cœlestia bella triumphis,
His DEUS infernas cladibus auget aquas.
Viribus abjectis supremas movimus iras,
Ecce coruscanti fulmina nube ruunt.
Emicat ignis edax, focus ardens, ira Tonātis,
Quod scelus infaustos suscitat igne rogos.
Quæ vires bellare Deum? quid pulvis in Othryn!

Quid

Quid conus Cedris, inq; Elephanta culex.
Non est vis cœlo, quamvis sit causa furoris,
Principium tanti materiesq; mali.
Sic placuit bellis armisq; lacessere Numen,
Cœlicus en! coram nuntius ista refert.
Ecce brevi vastos implebis funere Campos,
Gens invisa Deo, gens inimica polo.
Et tandem valido perfringens ostia pulsu,
Prælia pro læso Numine, dura gerit.
Trux hospes domibus, versans â cardine postes,
Excutiensq; nefas, crimina nostra, lares,
Heu? rabidæ circum Furiæ Parcæq; vagantur,
Angelus ut mandat, terna ministra facit.
Vox sonat è cœlo, vox nostris horrida terris,
Accelera cineres, funera, damna, neces.
O! dirum fulmen? vox! o! crudelia justa,
O! deplorandi qui his meruere quati
Estne tamen quisquam, qui talia fulmina sistat
Ne perimant omnes verbera sparsa reos.
Est, est; atq; tenet sacras cum fulmine Palmas,
Est Patrona suis diva Maria reis.
Pone metus orbis? furor hic non fulgura vibrat,
Æstus obtentu temperat umbra suo.
Es Cedrus Libani, parvæ Tibi cura Myricæ
Convenit, ardentes supprime Virgo globos.
Tu Regina poli, Tibi servit curia Divum,
Penni-

Pennigeri Juvenes, grandia jussa petunt.
Dia velis tandem Genios compescere servos,
Ne tantis rixis climata nostra premant
Ars Tibi non vilis magnum lenire Tonantem
Supplice Te fiat, mollior ira Dei.
Tunc Tibi devotis vates affectibus ustus,
Perpetuum ad plantas cor sua metra, canet.

CATEGORIA VII.

Votorum quies & Corona.

Si durata forent solidô præcordia ferrô
Aut esset venis ex adamante rigor
Non tantæ vires, nervi, roburq; ferendi,
Mole suâ ut nobis incubuêre mala.
Hoc tamen heu! magno nec quidquam pondere sortis,
Eximimur, nec atrox Parca remittit opus.
Ipse ego multiplicis, sum pallida victima Fati,
Sed quando? finis, nescius ipse mei
Ordine quo tactus? communi lege modoq;
Sub marmor cineres ossa tegenda dabo?
Alterius stupui lapsum gemitusq; frequentes,
Nunc is qui gemuit Fata, gemendus erit.

Vel

Vel cras cum lachrymis lucem ſperare ſupremam,
Cogimur aut hodie reddere buſta ſolo.
Sponte ſuper tumbas ludentibus alea Parcis,
Vertitur, & cui quam morte ſequente cadit
Hinc quocunq́; flu.t non fauſtum tempore punctum,
Corporis hæc mæſto ſarcina danda loco.
Horremus patres exanguia membra, viciſſim
Mox quoq́; ſollicitus nos pavor ille rapit.
Turpe cadaver erant viſi ſpectantibus olim,
Mox aſpectantes nauſea turpis erunt.
Multi nec ſacro tumuli donantur honore,
Exoſis ſpatiis funera viſa jacent.
Vt vivos enecat, ſic arcet Numen ab Aris,
Offenſum, exangues, terra ſepulchra negat.
Quo cecidere loco neglecta cadavera putri
Tabe, velut gelido vere liguſtra cadunt.
In mediis vitam votis, hic fudit in auras,
Huius ſpirantis vitaq́; ſpeſq́; crepat.
Hic moriturus erat, vivit, ſtatuente Tonante,
Et fragilem vitam ſpeq́; metuq́; tenet.
Alter agens animam longum velut iret in ævũ,
Percipit ut Lacheſis ſtamen acerba ſcidit.
Nunc dubio infelix vegetatur vita calore,
Mox Letho frigent mortua membra ſuo.
Sic languent tenues nobiſcum ſpeſq́; metuſq́;
Flebilis hora fugit, Mors inopina venit.

Ubere

Ubere singultu elapsam ploravimus horam
Ambigui sortis, quam feret hora sequens.
Diva potens, reseras, quæ nostris ostia votis,
Te bona sperare, & Te meliora licet.
A Te nunc votum ceu sacra pendet ab Arâ,
Hybleis ceris ut sua pendet apis.
Anxia Maternis en! spes requiescit in ulnis,
Sentio quam tuto vota recepta sinu.
A cœlis vacuas non fas abscedere voces,
Non sic sunt divi, ut garrula petra sonat.
Illa quærit refugis fluidam clangoribus auram
Et sermo rursus prætereundo redit.
Te Mater, postquam miserorum voce vocaris,
Abbita nulla poli, sidera nulla tenent.
Perrumpis cœlum, transcendis sidera passu.
Nunc etiam cedent astra beata viam.
Tu super Empyreum surgentia vota coronas,
Nostris nunc votis SUMMA CORONA veni.


...minai.

puer virtutem exm

laboreis fortuna

alis

6



950332 Bibliotheca 500,-
P.P. Camaldulensium in Bielany
Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
03901
a.V.55

Ubere ſingultu elapſam ploravi
Ambigui ſortis, quam feret
Diva potens, reſeras, quæ noſt
Te bona ſperare, & Te meli
A Te nunc votum ceu ſacra pe
Hybleis ceris ut ſua pendet
Anxia Maternis en! ſpes requie
Sentio quam tuto vota rece
A cœlis vacuas non fas abſce
Non ſic ſunt divi, ut garrula
Illa quatit refugis fluidam clan
Et ſermo rurſus prætereund
Te Mater, poſtquam miſerorum
Abbita nulla poli, ſidera nul
Perrumpis cœlum, tranſcendis
Nunc etiam cedent aſtra bea
Tu ſuper Empyreum ſurgentia
Noſtris nunc votis Summa C

puer virtutem exm
laboreis fortuna
alijs
6



950332 Bibliotheca 500,-
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
03901

a.V.55